IN

OBITUM

Auguſtiſſimi Invictiſſimique

Magnæ Britanniæ, &c.

REGIS,

Gulielmi Tertii.

Ἐφημερὶς.

AUTORE *Gulielmo Hogæo.* K.

LONDINI:
Impenſis Autoris, Anno Salutis, MDCCII.

IN OBITUM
Auguſtiſſimi Invictiſſimique
Magnæ Britanniæ, &c.
Regis, GULIELMI Tertii.

ΘΡΗΝΗΤΙΚΟΝ

QUA plangam tua fata lyrâ? Queis proſequar umbras
Carminibus, *Gulielme*, tuas? Vis ſæva doloris
Senſum animumque mihi rapuit, vix pervia verbis
Ora patent; ſic corda mihi dolor obruit ingens.
Non penitus reticere tamen tam triſtia poſſum,
Funera, nec tacita buſtum hoc venerabile lingua
Cernere. Quis, rigido niſi cui mage dura metallo
Pectora ſunt, inhibere poteſt hoc tempore fletum,
Aut ſpectare oculis lethum hoc plorabile ſiccis?
Ille potens armis animiſque ingentibus, ille
Præſidium commune bonis, terrorque malignis,
Ac Terræ columen Rex et tutela *Britannæ*,

Atque decus *Batavæ*, Gallæque tyrannidis horror
Occidit, atque jacet mutum ìmanatumque cadaver.
Nunc vero unde mei capiam primordia luctus,
Et laudis, *Gulielme*, tuæ, Rex optime regum,
Quotquot ubique gerunt magnum diadema per Orbem,
Copia me dubium virtutum immensa tuarum
En facit, huc illuc dum errantia lumina volvo.
Justitiæne prius mirer, belline laborum?
Justitiæ manifesta tuæ tu signa dedisti
Omnibus; osus eras tenuem vexare clientem
Queis cordi fuerat, viduamque et patre carentem.
Libertatis eras veræ defensor, et atro
Non minus angue tibi *Galli* est exosa Tyranni
Impietas, gaudens hominum fudisse cruorem,
Atque omnem trepido terram turbare tumultu.
Si veteres primo fasti repetantur ab ævo,
Æqualem pietate, fide, virtutis amore,
Et bonitate tibi nullum antè *Britannia* Regem
Protulit. O quam lentus eras exposcere pœnam?
Quam facilis servare malos, peccasse fatentes,
Et mediis gelidi revocare a faucibus Orci?
Divitiis etiam multos et honoribus auxti,
In caput arma tuum quamquam ante tulere rebelles.
Non luxa tenebris, Stygio non distat ab Orco
Aula superna magis, quam a moribus ille ferinis,
Sævitiaque tua, trux ô *Lodoice*, recessit.
Tu gaudes violare pios et perdere ferro,

Et variis vexare modis, tentasque furore
Satanico Superis Christum detrudere regnis:
Ille piis Patronus erat, cunctosque fovebat;
Qui pria Sacra dei sincera mente colebant,
Sub Christi sua colla jugum submittere fassi.
Fraude doloque tibi vel robore perdere multos
Cordi est innocuos; illi servare nocentes,
Quos scelerum piguit, fuerat jucunda voluptas.
Sanguine justorum innocuo tua dextra madescit,
Ille manus puras insontum a sanguine, semper
Continuit: Quin sæpe malis sua crimina fassis
Pacis amore dedit veniam, plaçideque recepit.
Ipse tuis servile jugum tu imponere gaudes,
Ille pericla adiit pto libertate suorum.
Jure igitur *Gulielme* tuam Rex optime mortem,
Plebs procereſque dolent, & fletibus ora madescunt
Matres cum nuribus, senibusque immista juventus.
Lugete hunc populi merito ah lugete *Britanni*,
Qui juga de vestro excussit servilia collo,
Juraque restituit vobis, pacemque reduxit
Cum ferroque ferox flammaque furebat *Erinnys*:
Lugete O *Batavi* vestræ telluris alumnum
Nassovia genitum, qui vos a flore juventæ
Perpetuo tutatus erat, *Gallumque* repressit,
Oppida sanguineis ubi vestra invaserat armis.
Falsa moneta soli turbavit regna *Britanni*
Adventum ante tuum *Batavæ* regionis ab oris

O Patriæ tutela tuæ, tutela *Britanna*,
Publicus orbis amor, ſortiſque in turbine portus:
Sed poſtquam diadema comis, ſacraque gerebas
Sceptra *Britanna* manu, falſos ſapientia nummos
Mox tua mira abigit, tenuem cum dite clientem
Lætificans; nam utrumque famis jam invaſerat horror,
Neuter ubi expoſitos potuit defendere nummos,
Ceu lapides aut ligna daret pro mercibus emptis.
Naſſovia ſed ſtirpe ſatus venerabilis Heros
Hanc cladem avertit tibi, Terra *Britanna*, minantem,
Sedavitque tuos animo prudente tumultus,
Et cudendo novam reparat tua damna monetam.
Relligionis erat puræ defenſor ab atræ
Unguibus invidiæ, nullum violare ſinebat,
Qui dominum puro coluit cum pectore, quamvis
Diſſona quædam aliis retineret dogmata multis.
Sed tua quo virtus reſonanda eſt martia plectro,
Intrepida, *Gulielme*, manu qui bella gerebas?
O quoties medios fervens atque acer in hoſtes
Irruit, et qua tela videt denſata tetendit!
Horrificum O quoties ferratæ grandinis imbrem
Suſtinuit, dum utramque globus prætervolat aurem
Fulmineus, præterque latus reſonabat utrumque,
Numine in innumeris illi invigilante periclis!
Gallorum O quoties ſævas tulit ille procellas,
Pro Patria non ſe metuens exponere morti,
Irrita ſanguinei reddit dum incæpta tyranni?

Claſſibus

Classibus atque viris Terræ cum in Regna *Britanna*
Instructus properasset iter trans æquoris undas,
Vix bene tellurem tetigit, mox corda liquescunt
Papicolum; et rapuére fugam et petiére latebras
Qui modo fronte minas, et dextris arma gerebant.
Pax iterum jucunda redit, trepidosque tumultus,
Nominis ille sui solo terrore repressit,
Adversasque fugat sine cæde et sanguine turmas.
Inclyta *Boynæi* facta atque pericula belli
Quis digne celebrare potest? Ubi pæne cadebat
Fulmineo minitante globo, nisi falleret ictum
Omnipotens, humero tumuit cum vulnere tacto.
Ille at sanguinei non secius æquore campi
Exercebat equos, curruque in bella ruebat.
Hybernosque sua domuit virtute rebelles,
Et Terram repetit multa cum laude *Britannam*.
Hic populis dum jura dabat sacrata *Britannis*,
Præsidiumque suis ac toti præstitit Orbi,
Gallorum adversus rabiem sine lege furentum,
Cum tres atque decem placide regnaverat annos,
Sacrilegas mors atra manus mox injicit illi,
Ingentique rigat fletu populosque *Britannos*,
Et *Batavos*, misero plangentes funera questu.
Communemque utrisque patrem cecidisse dolentes.
Non tamen ille omnis moritur: post fata superstes
Spiritus ætherei super aurea sydera regni
Vivit, & in terris decus indelibile durat.

Quaque patet Domini regnum venerabile *Chriſti*,
Rex *Gulielmus* erit, magnum & memorabile nomen.

Epitaphium.

C*Lauditur exigua nunc Rex* Gulielmus *in Urna,*
Qui cuncta immenſo nomine regna tenet.
Ille jugum Pharii gravius quam vincla tyranni
Depulit a collo, Terra Britanna, *tuo:*
Abſtulit ille tui reparando incommoda nummi,
Reſtituit Leges, et tua jura tibi.
Pæne puer teneris Batavos *defendit ab annis,*
Fidus & his omni tempore tutor erat.
Perfidioſe tuum domuit cum, Galle, *furorem,*
Vindicat Auſtriacæ *debita jura plagæ.*
Dumque parat totum pacem ſtabilire per Orbem
Lumina nox mortis clauſit, & umbra volat;
Umbra volat ſuper aſtra deum, cæloque locatur,
Hic eſt Angelicis annumerata choris.
Hic reſidet, ridetque ſui ludibria trunci,
Sub pedibuſque ſuis omnia regna videt.
Ornaturque novo ſacrum diademate crinem,
Fulget in æternos quod ſine fine dies.

FINIS.